

§. XVII.

Sed nos potius ad *status Christi distinctos* juxta *Compendium Christologicum*. Duo vero sunt Mediatoris nostri status; alter *Humilitatis*; alter *Majestatis*. Prior dicitur *Exinanitionis*, posterior *Exaltationis*, prout apparet primo ex *primario* loco ad Philipp. II. secundo ex hoc loco *primitivo*, quia disertis verbis in *Compendio Paradisiaco* status *Exaltationis*, quoad activam & gloriosam serpentini Capitis conculcationem adseritur, & *Majestas* super omnes potestates infernales ostenditur. Econtra vero *calcaneus* hujus seminis morsu venenato seu mortifero læditur, & in statum *ad tempus* ignominiosum detruditur. *Tertio* ex *universa Veteris Testamenti Scriptura*, in qua per innumera sacrificia mors peccatorum per ipsam trucidationem & concremationem ostenditur, in *Exinanitionem*, per ipsam vero *ignis sacrificialis ascensionem* exaltationis gloria manifestatur. *Quarto*, quia sequitur propter peccatum *Exinanitio per mortem* v. 19. & per gloriosam vitæ post mortem restitutionem vers. 20. quam soli Messiaë tanquam *principio* vel *Auctori vitæ* debemus, Act. III. vers. 15. Si quis etiam *gradus status* tum *Exinanitionis*, tum *Exaltationis* notare vellet, non indicia nulla deprehenderet. Qua ratione *humilem* conceptionem in voce *humani Seminis*; *humilem* nativitatem in voce *Mulieris*, cujus proprium est partus, tum *humilem* calcanei passionem, tum *humilem* mortis perpeffionem in vicaria mortis ignominiosæ pro peccatis protoplastorum, & posterorum susceptione, tum in *tenebricosa sepelitione*, quam *tenebricosam obtectionem* radix originalis indicare videtur,